

§. X.

Porro apparet, in loco, qui huic nostro proximus est, ubi quaeritur de obligatione possessoris ad praestandum rei interitum post litis contestationem, diuortium fecisse Ictos veteres, pro diuersarum sectarum studio, de qua re audiamus ipsum PAVLVM a) nostrum, qui medius inter vtramque sectam intercedit. *Illud quoque, ait, quod in oratione Diui HADRIANI est: ut post acceptum iudicium id actori praestetur, quod habiturus esset, si eo tempore, quo petit, restituta esset hereditas, interdum durum est. Quid enim, si post litem contestatam mancipia, aut iumenta, aut pecora deperierint? Damnari debet secundum verba orationis, quia potuit petitor, restituta hereditate, distraxisse ea. Et hoc iustum esse in specialibus petitionibus PROCVLO placet. CASSIVS contra sensit. In praedonis persona PROCVLVS recte existimat: in bonae fidei possessoribus CASSIVS. Nec enim debet possessor aut mortalitatem praestare, aut propter metum huius periculi temere inaeisum ius suum relinquere. Ad quem locum ANT. AVGVSTINVS b) quoque prolocat, ut probet diffidia vtriusque scholae, eorumque in libris nostris vestigia, MASCOVIVS c) vero curatius exposuit, quae ipsi videatur vtriusque partis sententia. Vterque, ut plerumque*

D 3

rumque

a) in L. 40. pr. D. de heredit. petit. pag. 153. dictae editionis, & apud

b) *Emendationum & opinionum* EV. OTTON, in thesauro iur. civ. Tom IV. pag. 1508.

c) *de Sectis Sabin. & Proculeian.* c. 9. §. 6. pag. 166 sqq.

(quarum Libri IV. & ad Modestinum
sive de excusationibus liber singularis
Venetiis 1543. prodire) Libr. III. c. 4.